

RITUS

SERVANDUS IN RECEPTIONE FIDELIUM

CONFRATERNITATEM B. M. V. DE MONTE CARMELO

IN USU

EXCALCEATOS

BX2321

.C27

R5

c.1

758

A vertical collage of four images. The top two images show close-ups of pink roses against a yellow background. The bottom left image shows a pink rose in a clear glass vase. The bottom right image shows a pink rose in a clear glass vase.



1080026056

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE PUBLICACIONES

J. M. J.

RITUS SERVANDUS
IN BENEDICTIONE HABITUS

AC RECEPCIONE AD CONFRATERNITATEM



Sodalitati nostrae nomen datus apsa die ad
Poenitentiae, atque Eucharistiae sacramenta
cedat, ut plenariam indulgentiam a Paolo V
concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, scapulare benedicendum est ad
altare beatissimae Virginis Mariae de Monte Car-
melo, duobus cercis accensis.

Sacerdos superpelliceum, vel regulare pallium
induat, una cum stola albi coloris.

Genuflexo qui habitum recipit, sacerdos stans
dicat:

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in
medio templi tui: secundum nomen tuum
Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia
plena est dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.

℟. Et ne nos inducas in temptationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac
famulam tuam).

℟. Deus meus sperantem in te.

- v. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
- r. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).
- v. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* ea).
- r. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
- v. Domine exaudi orationem meam.
- r. Et clamor meus ad te veniat.
- v. Dominus vobiscum.
- r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Suscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Deus per Unigenitum suum mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi: et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix, et amatrix, nos cum fideibus suis coniungere dignetur in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum.

- r. Amen.
- v. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
- r. Qui fecit coelum et terram.
- v. Sit nomen Domini benedictum.
- r. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
- v. Domine exaudi orationem meam.
- r. Et clamor meus ad te veniat.
- v. Dominus vobiscum.
- r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Aeterne Pater, et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuae largitatis bene*¶*dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo gestari sanxerunt, et sic ipsum bene*¶*dicare digneris, ut quicumque eo usus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum. r. Amen.

OREMUS

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo (*vel* famulæ tuae) imponendum bene*¶*dicio tua benigna descendat; ut sit bene*¶*dictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. r. Amen.

*Aspergat habitum aqua benedicta,
et imponens ei, dicat:*

Accipe vir devote (*vel* mulier devota) hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. r. Amen.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris,

et hunc famulum tuum, quem (*vel* hanc famulam tuam, quam) nostrae sacrae Religioni sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari.

Protege, Domine, famulum tuum (*vel* famulam tuam) subsidiis pacis, et B. Mariae semper Virginis patrocinii confidentem a cunctis hostibus redde securum (*vel* securam).

Bene dicat te Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo societatem et confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor, palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Si habitus tantum sit benedicendus, incipitur a **v.** Adiutorium nostrum, usque ad orationem Suppliciter, inclusive.

Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta et subiungat:

Ego auctoritate qua fungor et mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostrae sacrae Religionis (*vel* sacrae Religionis Carmelitarum), et investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium eiusdem Ordinis. In nomine Patris **H** et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si plures sint habitu induendi, preces praedictae dicantur suis locis in plurali praeter: Accipe vir devote etc., quod unicuique seorsim dicendum est ad habitus impositionem.

His expletis describatur Confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis sed efficacioribus verbis eum adhortetur ad caute, pie sancte que vivendum ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere, ac veluti singularem ac dulcissimam Matrem prosequi fas erit.

ALIA FORMULA BREVIOR

QUAE ADHIBERI POTEST

Ex Decreto S. R. C. diei 24 Iulii 1888.

v. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Iesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum quem propter tuum tuae que Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delatu-

rus, dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

*Deinde aspergat aqua benedicta habitum
et postea ipsum imponat dicens:*

Accipe hunc habitum benedictum precans Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae cooperante misericordia Iesu Christi, a Religiosis de Monte Carmelo per aguntur. In nomine Patris ☩ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Bene dicat te Conditor coeli et terrae Deus omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui, conterat caput serpentis antiqui; atque palmarum et coronam sempiternae haereditatis tandem consequaris. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

MODUS VISITANDI CONFRATRES INFIRMOS

Cum Sacerdos ingressus fuerit infirmi cubiculum, dicat:

ꝑ. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde imposta stola violacei coloris, aspergat aegrum et circumstantes aqua benedicta in modum crucis, dicens:

Antiphona.

Asperges me, Domine, hyssopo etc.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.

Et repet. Antiph. Asperges me etc.

ꝑ. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac ancillam tuam).

R. Deus meus sperantem in te.

ꝑ. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* ea).

ꝑ. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

ꝑ. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).

ꝑ. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

ꝑ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sancti

ctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde genuflexus dicat *Litanias B. Mariae Virginis cum petitionibus in numero singulari*
— Miserere ei — Ora pro eo (*vel ea*).

Pater noster, et Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecations ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera eum (*vel eam*) semper, Virgo gloria et benedicta, Domina nostra, media-trix nostra, advocata nostra, tuo eum (*vel eam*) Filio reconcilia, tuo eum (*vel eam*) Filio commenda, tuo eum (*vel eam*) Filio repre-senta.

X. Ora pro eo (*vel ea*) sancta Dei Genitrix.

R. Ut dignus (*vel digna*) efficiatur promissionibus Christi.

X. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

X. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Protege, Domine, famulum tuum (*vel famulum tuam*) subsidiis pacis; et beatae Mariae semper Virginis patrocinis confidentem, a cunctis hostibus redde securum (*vel securam*).

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quae-sumus Domine, meritis adiuuemur: ut quod

possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia, et vitae aeternae subsidia contulisti: respice propitijs famulum tuum (*vel famulam tuam*), infirmitate corporis laborantem, et animam refove quam creasti, ut in hora exitus illius absque peccati macula, tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repreäsentari mereatur.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxili tui super infirmum famulum tuum (*vel infirmam famulam tuam*) ostende virtutem, et sic eum (*vel eam*) gratia tua confirmare digneris, ut in hora mortis eius non praevaleat contra eum (*vel eam*) adversarius, sed cum angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui montis Carmeli Ordinem, gloriosae Virginis Matris Mariae sacrato titulo insignitum, sanctorum tuorum Eliae, Angeli, Cyrilli, Alberti, Terasiae, et aliorum plurimorum sanctorum meritis decorasti: tribue, quaesumus, ut per eorum merita et suffragia, ab instantibus animae et corporis malis, et periculis liberatus (*vel liberata*), ad te verum Carmeli verticem gaudens pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde impertitur benedictionem ut sequitur:

*

MODUS IMPERTIENDI

GENERALIS ABSOLUTIONIS MORIBUNDIS CONFRATRIBUS
BEATISSIMAE V. M. DE MONTE CARMELO (1).

Cum Sacerdos ingressus fuerit infirmi cubiculum, dicat :

¶. Pax huic domui.

¶. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde imposita stola violacei coloris, aspergat aegrum et circumstantes aqua benedicta in modum crucis, dicens :

Antiphona

Asperges me, Domine, hyssopo etc.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.

Et repet. Antiph. Asperges me etc.

Sacerdos dicat :

¶. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

¶. Qui fecit coelum et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae); neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.

¶. Et ne nos inducas in temptationem.

¶. Sed libera nos a malo.

(1) Confratres habent facultatem in articulo mortis recipiendi Absolutionem generalem cum plenaria Indulgentia a Confessario habente licentiam exercendi munera Confraternitatis, aut, in huius defectu, a quocumque alio per Ordinarium approbato. Bulla Clem. VII., *Ex Clementi*, 12. Augusti 1530; et Brev. Pii VI. 1787.

¶. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac ancillam tuam).

¶. Deus meus, sperantem in te.

¶. Domine exaudi orationem meam.

¶. Et clamor meus ad te veniat.

¶. Dominus vobiscum.

¶. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem : secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum (*vel* famulam tuam) N., quem (*vel* quam) tibi vera fides, et spes christiana commendat. Visita eum (*vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge : ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. ¶. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus Confiteor, addito nomine fundatorum Eliae et Teresiae, Sacerdos dicat: Misereatur etc. Deinde:

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam

piissimam misericordiam recipiat confessio-
nem tuam, et restituat tibi stolam primam,
quam in baptismate recepisti; et ego facultate
mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgen-
tiā plenariā, et remissionē omnium pec-
catorum tibi concedo. In nomine Patris ☩ et
Filii et Spiritus Sancti.

Per sacrosancta humanae reparationis my-
steria, remittat tibi omnipotens Deus omnes
praesentis et futurae vitae poenas, paradisi
portas aperiat, et ad gaudia sempiterna per-
ducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, et Fi-
lius ☩ et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut
neque confessionis generalis facienda, neque praefi-
missarum precum recitandarum tempus suffetat,
statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur,
dicens: Indulgentiam Plenariam et remissio-
nem omnium peccatorum tibi concedo, in no-
mine Patris, et Filii ☩ et Spiritus Sancti.
Amen.

SUMMARIUM

INDULGENTIARUM ET GRATIARUM

CONFRATRIBUS

B. VIRG. MARIAE DE MONTE CARMELO

A SUMMIS PONTIFICIBUS CONCESSARUM

Indulgentia plenaria sub conditione sacramenta-
liter confitendi, SS. Eucharistiam sumendi, et preces
fundendi pro christianorum principum concordia, ha-
resum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae exal-
tatione.

1. Die illa, qua quis recipiendo habitum, confrater-
nitatem ingreditur. Paul. V. *Cum certas*, 30 Oct. 1606.

2. In festo principali COMMEMORAT. B. V. MARIAE
DE MONTE CARMELO, 16 Iulii, vel Dominica imme-
diata sequenti, aut alia eiusdem mensis, iuxta locorum
consuetudinem. Ibid.

3. In mortis articulo, Poenitentiae et Eucharistiae
Sacramentis susceptis, ad devotam SS. Nominis Iesu
invocationem ore, si fieri potest, sin autem corde. Ibid.

4. In una Dominica cuiusvis mensis, interessendo
processioni per confraternitatem de Ordinarii loci licen-
tia facienda. Idem. *Pitorum hominum*, 3 Aug. 1609,
et *Alias volentes*, 19 Jul. 1614.

5. Iis, qui praedictae processioni commode assistere
non valent, si capellam respectivae confraternitatis de-
vote visitaverint. Clem. X. *Commissae nobis*, 8 Maii 1673.

6. Infirmis, captiuis et peregrinis, qui huiusmodi
capellam dicta Dominica visitare nequierint, si Offi-
cium parvum B. M. V. aut quinquages *Pater et Ave*
recitaverint, et saltem contriti fuerint cum proposito
confitendi, et sacram Communionem recipiendi quam-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MEXICO

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

®

primum potuerint, quod adimplere omnino tenentur.
Clem. X. Bulla nuper citata.

INDULGENTIAE PARTIALES

1. *Indulg. 5 annor. et totidem quadragenar.* Semel in mense, si poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione oraverint. Paul. V. *Cum certas*, supra cit.

2. *Item comitando SS. Sacramentum dum ad infirmos desertur, cum candela accensa, et pro iisdem piis ad Deum preces fundendo.* Ibid.

3. *Indulg. 3 annor. et 3 quadrag.* In qualibet ex festivitatibus B. M. V. quae celebrantur ab universa Ecclesia, confitendo et SS. Eucharistiam sumendo in ecclesia, vel capella confraternitatis, et ut supra orando. Ibid.

4. *Indulg. 100 dier.* Corpora defunctorum tam confratrum et consorum, quam aliorum ad sepulturam associando, ac pro eorum animabus Deum exorando. Officium parvum B. M. V. devote recitando. Assistendo Missis aliquisque divinis officiis in ecclesia vel capella confraternitatis. Pauperes hospitio recipiendo, aut eis in eorum necessitatibus vel periculo peccandi existentibus auxilium ferendo. Pacem cum inimicis propriis, vel alienis, componendo. Ignorantes Dei praecepta et ea, quae sunt ad salutem, edocendo, aut aliud quodcumque pietatis vel charitatis opus exercendo. Ibid.

Omnis et singulæ indulgentiae praedictæ per Paulum V. concessæ, animabus Purgatori per modum suffragij possunt applicari. Clem. X. *Cum sicut acceptimus* 2 Ian. 1672.

GRATIAE NUPER CONCESSAE (1)

1. Omnes confratres et consorores, si in locis versantur ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede eiusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, respectivam parochiale ecclesiam statis diebus devote visitaverint, ac reliqua iniuncta pietatis opera rite in Domino praestiterint. Pii IX. Brev. 15 Ian. 1855.

2. Omnes et singulæ Missæ, quæ in suffragium celebrantur confratrum et consorum, eodem gaudent privilegio ac si in altari privilegiato celebatae fuissent. S. Cong. Indulg. 22 Iunii 1865.

ALIAE GRATIAE

Privilegium, vulgo dictum *Sabbatinum*, a Summis Pontificibus Ioan. XXII, Bulla *Sic mihi*, 3 Mart. 1322; Clem. VII, *Ex Clementi*, 12 Aug. 1530; S. Pii V, *Superna dispositione*, 18 Febr. 1566; Gregor. XIII, *Ut laudes*, 18 Septemb. 1577; alisque approbatum et confirmatum, nec non a S. Romana et Universali Inquisitione sub Paulo V, die 20 Ian. 1613, Decreto tenuis sequentis :

« *Patribus Carmelitanis permittitur praedicare quod populus christianus possit pie credere de adiutorio animarum fratrum et confratrum sodalitatis Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in charitate decendentium, qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum reci-*

(1) *GRATIAE OLIM CONCESSAE*, praeter promissiones B. Simoni Stok a SS. Virgine factas, sunt: 1. Indulgentiac personalis praedictæ. 2. Participatio omnium bonorum spiritualium nostri Ordinis ex Bulla Clem. VII, *Ex Clementi*, 12 Augusti 1530. 3. Facultas in articulo mortis recipiendi Absolutionem generalem cum plenaria indulgentia, etc. ut supra.

taverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiae ieiunia observaverint, et feria quarta et Sabbato a carnis abstinerent (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit) suis intercessionibus continuae piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimae Virgini dicatus est, adiuturam ».

Aliae multae Indulgentiae, que brevitatis causa omittuntur, in Summario Indulgentiarum Bullarii Ordinis, part. 2, pag. 600 continentur.

VERITATIS

DECRETUM

Hoc Summarium rite recognitum, et authenticis documentis, revisorum iudicio, conforme repertum, imprimi posse, et ubique promulgari permittitur.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, 1 Decembris 1866.

L. X S.

ANTONIUS M. CARD. PANEBIANCO Praef.

Philippus Can. Cossa Subst.

INDULGENTIAE PLENARIAE

ECCLESII ORDINIS CARMELITARUM
IN ALIQUIBUS ANNI FESTIVITATIBUS CONCESSAE.

Die 2 Febr., et 4 S. Andr. Cors. ep. et conf. 19 et 25 Martii. — Fer. V. in Coena Domini. Domin. Paschatis. In festo Patrocinii S. Ioseph, vel infra octavam. In Ascensione Domini. — 5 Maii S. Angeli Martyr. 16 S. Simonis Stok conf. et 25 S. Mariae Magdalene de Pazzis virginis. — 2 Iulii Visitationis B. M. V. 16 B. M. V. de Monte Carmelo, vel infra octavam. 20 S. P. N. Eliae Prophetae. 26 S. Annae — 7 Augusti S. Alberti conf. 15 et Dom. infr. octav. Assumptionis. S. Ioachim. 27 Transverb. Cordis S. M. N. Teresiae. — 8 Septembri. — 15 Octob. S. M. N. Teresiae virg. vel infr. octav. — 15 Nov. Commemorat. Defunctorum Ordinis, et occurrente in Dominica, die 16, 21 Praesentationis B.M.V., 24 S.P.N. Ioannis a Cruce Conf. vel infr. octav. — 8 Decembris, et die Nativitatis Domini ad 3 Missam. Una die in expositione XL horar. Passim ex Bullario Ordinis.

Lucrant dictis diebus indulgentiam plenariam qui rite sacramentaliter confessi sint et sacra Communione refecti, atque ecclesiam Ordinis Carmelitani visitaverint, vel respectivam parochiale ecclesiam, si confratres in locis versantur ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia. Vid. supra *Gratiae nuper concessae* n. 1.

NOTANDUM quod, iuxta decretum Urbis et Orbis Pii Pp. IX 18 Septembri 1862 per S. C. Indulgementatum, si confratres habitualiter sint infirmi, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes (exceptis tamen illis, qui in communitate morantur) acquirere possunt predictas indulgentias plenarias, dummodo vere poenitentes et confessi loco sacrae Communionis et visitationis, alia

pia opera a respectivo Confessario iniungenda, fideliter adimplent.

Obligationes Confratrum ad supradicta consequenda.

I. Ut quis sacrum Scapulare a Sacerdote deputato cum solitis coeremoniis recipiat.

II. Ut eius nomen inscribatur in Album Confraternitatis in quavis Ecclesia Ordinis, vel in alia in qua sit canonicē erecta.

III. Ut illud semper super humeros portet; et si fuerit attritum, aliud sive benedictum, sive non benedictum, absque alia nova coeremonia assumendum est.

Obligationes particulares pro consequendo privilegio Bullae Sabbatinae.

I. Ut servetur castitas secundum proprium statum.

II. Ut scientes legere, quotidie recident Officium parvum B. M. V. in Breviario Romano appositum; nescientes vero legere, Ecclesiae ieūnia observent, ac diebus Mercurii et Sabbati abstineant ab esu carnium, excepto die Natalis Domini. Ob iustum tamen causam Confessarius, habens specialem facultatem, in aliud opus commutare potest.

RESOLUTIONES

1. An ad lucrandas indulgentias sacri Scapularis necesse sit, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat, an vero sit sufficiens ipsum deserre absque distinctione circa modum? S. C. Indulg. respondit: *Affirmative* quoad primam partem, *Negative* quoad secundam. 12 Febr. 1840.

2. An color *taneus* semper requiratur in Scapularibus ad indulgentias lucrandas? S. C. Indulg. respondit: *Negative*, dummodo colori vulgo *tanè* subrogetur alter consimilis, seu niger. 12 Febr. 1840.

3. Utrum Sacerdos habens facultatem imponendi

scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, sibimet illud possit imponere? S. C. Indulg. respondit: *Affirmative*, quatenus haec facultas habeatur indiscriminatim, minime vero si taxative, ex. gr. pro aliqua monialium communitate tantum etc. 17 Martii 1840.

4. An rata sit fidelium adscriptio non servata forma Ritualis et Breviariorum Ordinis Carmelitarum? S. C. Indulg. respondit: *Affirmative*, dummodo Sacerdotes facultates habentes non deficient in substantialibus, nempe benedictione et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem. 24 Augusti 1844.

5. Sacerdotes qui nequeunt transmittere nomina fidelium in scapularis Societatem receptorum, vel ad proximam eius Sodalitatem, vel ad monasteria religiosorum, querunt utrum fideles sic recepti indulgentias lucrari possint? S. C. Indulg. per decretum sub die 27 Aprilis 1887 respondit: inscriptionem in Album Confraternitatis esse necessariam ad lucrandas indulgentias.

6. An qui rite semel adscripti in Sodalitatem postea habitum dimiserunt, teneantur ad novam receptionem? S. C. Indulg. respondit: *Negative*, et sufficit ut habitum sacram ipsi denuo resumant simpliciter. 27 Maii 1857.

7. Utrum ad scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit materia ex lana, vel utrum summi etiam possit xylinum (cotone), aliave similis materia? S. C. Indulg. respondit: *Affirmative*, ad primam partem, *Negative* ad secundam. 18 Augusti 1868.

8. Utrum vox *panniculus* sumi debat sensu stricto, idest de sola lanea textura proprie dicta vulgo *tessuto*, *tissu*, vel utrum etiam intelligi possit de lanea textura reticulata vulgo *maglia*, *tricotage*, et de quocunque laneo opere acu picto vulgo *ricamo*, *broderie*? S. C. Indulg. respondit: *Affirmative*, ad primam partem, *Negative* ad secundam. 18 Augusti 1868.

9. An Scapularia confecta non ex lana contexta sed subcoacta (*feutre*, *feltro*), Christi fidelibus imponi possint, quin ipsi amittant Indulgentias, gestantibus scapularia concessas?

S. C. Indulg. respondit sub die 6 Maii 1895 : *Negative, iuxta decretum.... 18 Augusti 1868 supra relatuum.*

10. Utrum loco formae oblongae, vel saltem quadratae possit introduci forma Scapularis rotunda, ovalis, imo et multangula? S. C. Indulg. respondit: *Nihil esse innovandum.* 18 Augusti 1868.

11. Eadem S. Cong. sub die 16 Iulii 1872 statuit, ut ab eodem Sacerdote Scapularia imponantur, a quo ipsa Scapularia benedicuntur.

12. Utrum in adscribendis Christifidelibus Sodalitatibus B. Mariae Virginis a Monte Carmelo adhiberi licite et valide possint scapularia, quae, quamvis ex lana confecta, cooperiuntur tamen ex una parte tela serica vel gossypio, ex altera vero imagine, quae totum vel fere totum cooperit scapulare, ita ut pannus penitus, aut quasi penitus non appareat?

S. C. Indulg. sub die 18 Junii 1898 respondit: *Negative.*

Advertendum est quod vincula, quibus coniunguntur binae sacri habitus partes, cum sacrum Scapulare non constituant, non oportet ut sint lanea, possunt fieri ex lino, serico, etc. cuiuscumque coloris, quae alias parvos habitus simul adnectere possunt, v. g. Immaculatae Conceptionis B. M. V., Dolorum etc. Imago vero B.V. quae ponitur ordinarie super unius oris partem non est necessaria, sed est tantum pius et laudabilis usus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UAN

DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

126